

taniae confinio diximus. Pars quaedam Aethiopum locustis tantum viuit, fumo & sale duratis in annua alimentis: quadragesimum annum vitæ non excedunt. Aethiopum terram uniuersam cum mari rubro patere in longitudinem semel & vices centena lxx. M. pass. in latitudinem cum superiore Aegypto duodecies, centena xxvij. M. Agrippa existimauit. Quidam <sup>\*latitudinē</sup> longitudinē ita diuiserunt. A Meroe Sirbitum xij. dierū navigationē. Ab ea xij. ad Dauellos. Ab ijs ad oceanū Aethiopicū vi. dierū iter. In totū autē ab oceano ad Meroen d. ccxxv. M. pass. esse inter autores fere cōuenit: inde Syenen quātū diximus. Sita est Aethiopia ab oriētē hyberno ad occidētē hybernū. Meridia no cardine syluæ hebeno maxime uirent: à media eius parte imminēs mari mons excelsus, æternis ardet ignibus, Theon ochema dictus Græcis: à quo navigatio quatruidi ad promontoriū quod Hesperion ceras uocatur, confine Africa iuxta Aethiopes Hesperios. Quidam & in eo tractu modicos colles amœna opacitate uestitos Aegipanum Satyrorumq; produunt.

Insulæ Aethiopici maris. CAP. XXXI.

**I**n sulas toto eo mari et Ephorus cōplures esse tradidit, et Eudoxus, et Timosthenes, Clitarachus uero Alexandro regi renuntiatam adeo diuitem, ut equos incolæ talentis auri permutarēt. Alteram, ubi sacer mons opacus sylua repertus esset, distillantibus arboribus odore miræ suauitatis. Contra sinum Persicum Cerne nominatur insula aduersa Aethiopiæ, cuius neq; magnitudo, neq; interuallū à cōtinente cōstat. Aethiopus tantū populos habere p̄ditur. Ephorus autor est, à rubro mari nauigantes in eam nō posse propter ardores ultra quasdā columnas (ita appellantur parua insulæ) prouehi. Polybius in extrema Mauritania contra mōtem Atlantem à terra stadia octo abesse prodidit Cernen. Nepos Cornelius ex aduerso maxime Carthaginis à cōtinente passus mille: non ampliōrē circuitu duobus milibus. Traditur & alia insula contra montem Atlantē, & ipsa Atlantis appellata. Ab ea quinq; dierum nauigatione solitudines ad Aethiopus Hesperios, & promontorium quod uocauimus Hesperionceras, inde primū circumagente se terrarum frōte in occasum ad mare Atlaticum. Contra hoc promontorium Gorgades insulæ narrantur, Gorgonum quondā domus, bidui nauigatione distantes à cōtinente, ut tradit Xenophon Lampfacenus. Penetrauit in eas Hanno Pænorum imperator, prodiditq; birta fæminarum corpora, uiros pernicitate euasisse, duarumq; Gorgonū cutes argumēti, et miraculi gratia in Iunonis templo posuit, spectatas usq; ad Carthaginē captam. Ultra has etiamnū duæ Hesperides insulæ narrantur. Adeoque omnia circa hæc incerta sunt, ut Staius Sebosus à Gorgonum insulis præ nauigatione Atlantis dierū xl. ad Hesperidū insulas cursum prodiderit, ab ijs ad Hesperionceras unius. Nec Mauritania insularum certior fama est. Pauca modo cōstat esse ex aduerso Autololum, à Iuba reper-

tas, in quibus Getulicā purpurā tingere instituerat.

De fortunatis insulis. CAP. XXXII.

**S**unt qui ultra eos fortunatas putāt eē, quasdāq; Salias, quorū numero idē Sebosus etiā spatia complexus, Iunoniam abesse à Gadibus d. ccl. M. pass. tradit. Ab ea tantundem ad occasum uersus Pluuiariam Caprariamq; in Pluuiaria non esse aquam nisi ex imbribus. Ab ijs ccl. M. pass. Fortunatas cōtra leuam Mauritanie viij. M. passuum. Oram solis uocari in conualle à conuexitate, & Planariam à specie, conuallis circuitu ccc. M. pass. Arborum ibi proceritatem ad centum quadragintaquatuor pedes adolere. Iuba de fortunatis ita inquisiuit: sub meridiem positas esse prope occasum, à purpurarijs d. ccxxv. M. passuum, sic ut ccl. supra occasum nauigetur: deinde per cclxxv. M. passuum ortus petatur. Primam uocari Ombrion nullis adificiorum uestigijs: habere in montibus stagnum, arbores similes ferulæ, ex quibus aquæ exprimantur, ex nigris amara, ex cãdidioribus potui iucunda. Alteram insulam Iunoniam appellari, in ea adiculam esse tantum lapide extructam. Ab ea in uicino eodem nomine minorem. Deinde Caprariam lacertis grandibus refertam. In conspectu earū esse Niuariam, quæ hoc nomen accepit à perpetua niue, nebulosam. Proximam ei Canariam uocari, à multitudine canum ingētis magnitudinis: ex quibus perducti sunt Iubæ duo: apparentq; ibi uestigia adificiorum. Cum autem omnes copia pomorum & auium <sup>\*à Iuba</sup> omnis generis abundant, hanc & palmetis caryotas ferentibus, ac nuce pinea abundare. Esse copiam & mellis. Papyrus quoq; & siluros in amnibus gigni. Infestari eas beluis, quæ expellatur assidue, putrescentibus. At abunde orbe terrarū extra intra indicato, colligenda in arctum mensura equorum uidetur.

Terræ per mensuras computatæ digestio.

CAP. XXXIII.

**P**olybius à Gaditano freto longitudinem directo cursu ad os Mæotis, xxxiiij. xxxvij. M. d. pass. prodidit. Ab eodē initio ad orientē recto cursu Siciliam xij. lx. M. d. pass. Cretam cclxxv. M. pass. Rhodum clxxxvi. d. pass. Chelidonias tantundem: Cyprū cccxxv. M. pass. Inde Syriæ Seleuciam Pieriam cxx. M. passuum. Quæ computatio efficit uicies ter cetera xl. M. pass. Agrippa hoc idem interuallum à freto Gaditano ad sinum Issicum per longitudinem directam xxxiiij. xl. passuum M. taxat. in quo haud scio an sit error numeri, quoniam idem à Siculo freto Alexandriam cursus xij. l. M. passuum tradidit. Uniuersus autem circuitus per sinus dictos ab eodem exordio colligit ad Mæotin lacum clvi. M. passuum. Artemidorus adiicit d. cclvi. M. Idem cum Mæotide clxxij. xc. M. pass. esse tradit. Hæc est mensura inermium, & pacata audacia fortunam prouocantium hominum. Nunc ipsarum partium magnitudo comparabitur, ut cunque difficultatem afferet autorum diuersitas. Aptissime tamen spectabitur ad longitudinem latitudine